AD AVDIENDAM ORATIONEM QVA MEMORIA AVGVSTANÆ CONFESSIONIS

EX LEGE

BENEFICII LYNCKERIANI

DIE XXX MAII HORA XI

IN

TEMPLO PAVLLINO ACADEMICO

RENOVABITVR

PROCERES VTRIVSQVE CIVITATIS DOCTORESQVE

ET CIVES ACADEMICOS

INVITAT

HENRICVS CAROLVS ABR. EICHSTADIVS

THEOL. D. ELOQV. POES. ET ANTIQQ. LITT. PROF. P. O.
ACADEMIAE SENIOR.

INEST

PROPERTII ALIQVOT LOCORVM FAMILIARIS EXPOSITIO.

IENAE

EX OFFICINA BRANIANA

MDCCCXXXV.

Familiaris expositio, sic enim inscripsi hunc libellum, quo sensu dicatur, non temere quaeret, qui vel Muretina in Terentium, Catullum, Tibullum et Propertium vel Wolfiana in Platonis Phaedonem et Ciceronis de natura deorum libros scholia meminerit: sed cur ita inscripserim, paucis explicandum est. Tractavi enim per hiemem proxime superiorem Propertium in scholis Seminarii philologici: quae quatenus in interpretandis veterum scriptis versantur, ita solent a me institui, ut non tantum quae prolata sunt ab eo, ad quem munus interpretandi rediit, primum censere sodales iubeam, deinde ipse addita epicrisi censeam, sed ut subinde etiam de locis, qui difficultate aliqua laborant, quaestiones moveam, easque dato ad deliberandum tridui quatriduive spatio, disceptandas iuvenibus atque diiudicandas committam. Haec enim ratio, quae Grammaticorum veterum ἀπορήματα et λύσεις sed liberalius atque utilius imitatur, una mihi videtur potissima, scholas practicas, quas hodie vocant et tanto opere commendant, sic applicandi ad studia philologica, ut et discrepent ab exilitate scholasticarum exercitationum, et examinum fastidia devitent, et academiarum consilio ac dignitati conveniant. Examinum enim in academiis male auspicatum vocabulum est, incognitum hac quidem significatione et inauditum veteribus, qui ab ipsa quoque re ingenio et moribus suis vehementer abhorrebant. Quapropter Wolfius, quotiescumque novas scholas ordiebatur, ita praefari solebat, perverse studere eos, qui examinibus studeant; recte studere, qui sibi et vitae. Sunt autem illae, quas dixi, difficultates fere ex critico genere, oriundae ex depravationibus librariorum, quas, quemadmodum vere iudicavit Ruhnkenius, reperire interdum plus negotii facessit, quam repertas tollere, praesertim ubi mendosa scriptura tolerabilem neque abs re abhorrentem sensum efficit. Talia quum satis sit eruditis obiter monstrare in notis, quae typis exscribuntur, et emendationes breviter proferre: in scholis practicis lentiore gradu procedendum est, ac saepe per anfractus quaerenda via, quae ad verum inveniendum ducere videatur. Ac si verum non inveneris, tamen, ubi iusta investigandi ratio adhibetur, qua singula momenta

diligenter, accurate et perſpicue ponderantur, ad eamque velut amuſſim doctorum coniecturae et interpretationes exiguntur, ſatis valet haec πρᾶξις ad conſequendum id, quod volumus, ut impellantur exacuanturque ingenia adoleſcentium, factique in ſtudiis progreſſus explorentur. Harum igitur exercitationum, quas in ſcholis agitavimus, aliquot ſpecimina proponere hoc libello, quo ſcholarum noſtrarum ratio intelligatur, his temporibus conſentaneum exiſtimavi.

Lib. I. Eleg. IV.

Argumentum huius carminis bene declaravit praeceptor quondam meus in ſchola Portenſi, de iuvenilibus ſtudiis meis unus omnium optime meritus, Frid. Gottl. Barthius: „Propertius (ait) Baſſum obiurgat, quod ſe a Cynthiae amore conetur abducere; ſimul fruſtraneum hunc eſſe conatum monet propter ſummas Cynthiae virtutes, quibus ei nulla ſit ſimilis." In his virtutibus primum *formam* puellae, deinde *maiora* quaedam recenſet.

V. 11—14.

Haec ſed forma mei pars eſt extrema furoris:
Sunt maiora, quibus, Baſſe, perire iuvat.
Ingenuus COLOR, *et multis decus artibus, et quae*
Gaudia ſub tacita ducere veſte libet.

Parti extremae furoris, h. e. ultimae ideoque minimae vehementis amoris, quam in *forma* dicit poſitam eſſe, apertum eſt opponi *maiora*, quibus *perire* adeo iuvet. In his autem enumerat *ingenuum colorem*. Sed is minor potius formâ cenſendus eſt, niſi ad ipſam formam pertinet. Ac pertinet haud dubie. Nam paullo ante (v. 7) Propertius ex *formoſi temporis aetate* exempla puellarum, quae omnino ob pulcritudinem eſſent celebratae, ſic attulerat, ut colorem a forma non distingueret. Accedit, quod *color* h. l. non ſatis congruit *decori multis artibus* quaeſito. Etenim artes, quas in Cynthia ſua, ab *illuſtri avo* (II, 13, 10) prognata (verum puellae ingenuae nomen *Hoſtiae* fuiſſe veteres teſtantur) poeta laudat, ars *cantandi* ſimulque *carminis pangendi* (I, 2, 27. coll. I, 1, 9 et 3, 19—22), *iucunde et cum gratia loquendi* (I, 2, 29), *ſaltandi* (II, 3, 17), *texendi* (I, 3, 41), artes igitur illae, *quas* ipſa *Venus quasque Minerva probare* dicuntur (I, 2, 30), *decus* efficiebant, quod ſane forma maius eſſet, et cui *color* parum apte adiungeretur. Non recte Lachmannus poſt Bentleium (ad Horat. IV Od. 13, 17) comparavit Terentianum illud (Eunuch. II,

3, 26): *Quid tua istaec? Nova figura oris. Papae. Color verus, corpus solidum et succi plenum.* Quo in loco *color* nec distinguitur a *forma*, neque ei anteponitur, sed, tamquam species generi, subiicitur. Quamobrem scribendum puto:

Ingenuus CALOR, *et multis decus artibus* cet.

eodem sensu, quo Propertius *verum calorem* dixit III, 8, 9:

Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.

Ita *calorem* etiam alibi simpliciter posuit de amore: I, 12, 17. II, 15, 35. *Ingenuum amorem,* sed alio sensu, dixit Horatius I Od. 27, 16.

Lib. I. Eleg. V.

Obiurgatur hoc carmine Gallus, qui sive invidia et aemulatione ductus, sive ut Propertium calumniaretur, Cynthiae amorem appetebat, cui ferendo, propter mores puellae, sat cognitos poetae, ne par quidem erat. Solebat enim illa exacuere superbia et exacerbare amorem. Quae sententia ipso carminis initio expressa est:

V. 1—8.

Invide, tu tandem voces compesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis, collata, puellis;
Molliter irasci non solet illa TIBI.

Meos amores v. 3 recte explicant vehementes amoris cruciatus, quos ego sentio, ut I, 6, 23 *nostros labores*, et apud Callimachum epigr. XXXII, 1 ἦ ῥά σε δαίμων Οὐμὸς ἔχει; quod Valckenarius illustravit in Callimacheis p. 23. Sed Lachmannus nuper rediit ad Hemsterhusii correctionem: MEAE *sentire furores,* iram Cynthiae significari ratus. Iam si loquendi usum spectamus, pronomen *meae* simpliciter sic poni nemo dubitet, ut *tua* ap. Horat. I Od. 15, 22. τὴν ἐμὴν Aristaenet. I, 1. p. 6: at *furoris* vocabulum solemne est Propertio de vehementi amore, ut I, 13, 20. I, 4, 11, numquam ab eo dictum de ira.

Sin ſententiam reſpicimus, non videtur poeta tam inurbane egiſſe cum Cynthia ſua, docta moribusque culta et venuſta puella, ei ut *furores* obiiceret, quos cum *ultimis malis* et *Theſſalicis* adeo *toxicis* compararet. Quae quidem omnia quam bene cadant in amoris aerumnas et cruciatus, quos ipſe ſentiret, nemo non videt. Et concinunt, quae paullo poſt (v. 21. 22) leguntur:

Nec iam pallorem totiens mirabere noſtrum,
Aut cur ſim toto corpore nullus ego.

His argumentis, pro vulgata lectione allatis, facile cedit illud, quo Lachmannus eam impugnavit. Nam quae de *ſuis* furoribus poeta dixiſſe cenſeatur, ea locum ait eſſe habitura, ſi poſt verſum 9 legerentur. Ibi enim de curis et miſeriis amoris dicit: nunc ex Lachmanni ſententia de ira puellae, unde illae enaſcantur. Sed quum miſerias toties ſenſiſſet furore correptus poeta, naturae convenienter fecit, quod eas prius, quam illarum cauſſam, commemoravit: nobis autem non ita facere licet, ut in dialecticum quemdam ordinem poetarum carmina cogamus.

Sed de ira puellae quae poeta addit v. 8, ut Gallum a propoſito deterreret, vix recte ſe habent. *Molliter iraſci non ſolet illa tibi.* Sic omnes codices. At Gallus nondum expertus erat amorem Cynthiae: cavere ſibi a ſuperba illius ira poeta eum iubet. Quapropter *non ſolet — tibi* inepte poſitum eſt. Praeſtaret:

Molliter iraſci non ſolet illa mihi:

id quod Gallo aemulo affirmare Propertius poterat, ſuo graviter edoctus exemplo. Quod quum acute vidiſſet Scaliger, correctorem neſcio quem codicis Cuiaciani ſequutus, repoſuit:

Molliter iraſci non ſciet illa tibi,

referens ad futurum tempus, quod de praeterito ac praeſente dici non poterat. Et perſuaſit hanc correctionem Broukhuſio, Vulpio, Burmanno, qui certatim eam receperunt. Paſſeratius autem *tibi* redundare (παρέλκειν) vel ad ornatum poni cenſebat: quam rationem, alienam ab hoc loco, miror etiam Barthio et Germanico interpreti, Voſſio noſtro, placuiſſe. Lachmannus ingenioſe emendavit, ac more ſuo etiam in textum admiſit:

Molliter iraſci non ſolet illa: time.

Nobis lenior videtur et ad mores puellae *univerſe* notandos accommodatior haec correctio:

Molliter iraſci non ſolet illa VIRIS.

Haec universe dicta mox apte transfert ad Gallam:

Quod si forte tuis *non est contraria* votis,
At tibi curarum millia quanta dabit!

Hanc enim veram esse lectionem, non quam alii probarunt, *ausis* — *nostris* vel *vestris*, dubitari non potest. Pulcre tum congruunt quae sequuntur:

V. 11 — 12.

Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos:
Illa feros animis alligat una viros.

Sed quid hoc est: *ocellos non relinquet?* Nam de puella, quae irata unguibus petat et radat oculos amatoris, quis intelligat? Videtur tamen ita intellexisse Vossius:

Nicht wird jene dir Schlaf, nicht wird sie dir lassen die Augen;
Männer von trotzigem Muth bindet ins Joch sie allein.

Alii explicant: „nocturnam tibi quietem adimet, oculosque ipsos vigiliis et lacrimis tibi corrumpet." Sed *non relinquere oculos* neutiquam est *corrumpere:* nec quicquam additum est, quod vigilias et lacrimas supplere nos iubeat. Alii sic interpretantur: „Denunciat poeta aemulo: stabit semper tibi Cynthia ante oculos, nec te relinquet, tam irata, quam votis tuis non contraria, sive somnum captes, sive vigiles. Per *ocellos* vigilantem de die indicat, ut per *somnos* dormientem." At quis umquam hoc sensu dixit *oculos non relinquere?* Aut quis *somno* opposuit *oculos,* ut vigilantem significaret? Frustra proferunt locos, dicendi ratione prorsus diversos, velut IV, 1, 143:

Illius arbitrio noctem lucemque *videbis,*

aut I, 8, 44:

Sive dies *seu* nox *venerit, illa mea est.*

Ne hoc urgeam, quod aemulo, quem poeta paullo ante *invidi* (v. 1), *insani* (v. 3), *miseri* (v. 5) nominibus notarat, cuius *voces molestas* compesci voluerat (v. 1), nunc repente blando vocabulo *ocelli* tribuuntur. Quod vocabulum puellae potius conveniebat, ut I, 1, 1. Itaque scribendum arbitror:

Non tibi iam somnos nox ulla *relinquet:* ocellis
Illa feros animis alligat una viros.

Nox somnum non *affert,* quae tota insomnis peragitur: somnum non *re-*

linquit, ubi ne decedente quidem nocte ſopor feſſum occupat. Nec temere, opinor, *ocelli* puellae et virorum *feri animi* ſibi opponuntur. Probabilior certe videtur coniectura iis, quae adhuc in medium allatae ſunt. Nam quod coniecerunt,

Non tibi iam ſomnos irata relinquet ocellis,

aut

Non tibi iam ſomnus noctu inclinabit ocellos,

utrumque, etiamſi Gallo *ocellos* non invideamus, tamen, ſicut recte iudicavit Burmannus, a veſtigiis receptae lectionis nimium recedit.

Sed mittamus haec levia, ut gravem proludendi haec occaſionem commemoremus. Quamquam eam in ipſa fronte libelli iam indicavimus. Nam quum rurſus ſolemnia inſtent, ex inſtituto Lynckeriano in memoriam Auguſtanae Confeſſionis rite peragenda: iterum nobis in publicum producendus eſt vir clariſſimus et doctiſſimus, Carolvs Lvdovicvs Vilibaldvs Grimmivs, Ienenſis, Philoſophiae Doctor et Theologiae Baccalaureus, idem ille, quem ante hoc ipſum biennium, quum beneficii Lynckeriani legi orator ſatisfaceret, eadem in cauſſa commendavimus. Coepit ille ex hoc tempore tum ſcriptis in lucem editis ita inclareſcere, tum ſcholis habendis de academia noſtra tam bene mereri, ut nova iam non indigeat commendatione, qui in exſequendo eo, quod Lynckerus inſtituit, ſua ſibi virtute et laude audientiam facturus ſit. Itaque moris magis et officii quam neceſſitatis cauſſa hoc agimus, ut vos, Prorector Academiae Magnifice, Cvrator Illvstrissime, Professores ac Doctores Celeberrimi, et quicumque rebus academicis adeſtis ac favetis, ad orationem audiendam invitemus, qua Grimmivs, prorogati ſibi memor beneficii, *de Ioannis Staupitii in ſacrorum Chriſtianornm inſtaurationem meritis* die xxx Maii hora xi in templo Paullino exponet. Haud vulgaris eſt dicendi materies, ſcite delecta ab eo, qui theologiae ſtudium cum litterarum antiquarum elegantia ſemper coniunxit: a quo quum digna cultis auribus exſpectanda ſit argumenti compoſitio, tractatio, eloquutio, ne vos quidem committetis, Hvmanissimi Commilitones, ut ſoli parietes templi audiſſe oratorem dicantur.


Lp 45.235
Propertii aliquot locorum familiari
Widener Library 004720386
3 2044 085 225 597